



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

II. De humili sentire sui ipsius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45773)

Nam sequentes suam sensualitatem, maculant conscientiam, & perdunt Dei gratiam.

C A P U T II.

De humili sentire sui ipsius.

OMNIS homo naturaliter scire desiderat; sed scientia sine timore Dei, quid importat?

Melior est profectò humilis rusticus, qui Deo servit; quam superbus Philosophus, qui se neglecto, cursu cæli considerat.

Qui benè seipsum cognoscit, sibi ipfi vilescit, nec laudibus delectatur humanis.

Si scirem omnia quæ in mundo sunt, & non essem in charitate: quid me juvaret coram Deo, qui me judicatus est ex facto?

2. Quiesce à nimio sciendi desiderio; quia magna ibi invenitur distractio, & deceptio.

Scientes libenter volunt videri, & sapientes dici.

Mul

Multa sunt, quæ scire, parum vel nihil animæ profunt.

Et valde insipiens est, qui aliquibus intendit, quam his, quæ saluti suæ deserviunt.

Multa verba non satiant animam; sed bona vita refrigerat mentem: & pura conscientia magnam ad Deum præstat confidentiam.

3. Quantò plus & melius scis, tanto gravius inde judicaberis, nisi sanctius vixeris.

Noli ergo extolli de ulla arte vel scientia: sed potius time de data tibi notitia.

Si tibi videtur, quod multa scis, & fatis bene intelligis: scito tamen, quia sunt multò plura, quæ nescis.

Noli altum sapere, sed ignorantiam tuam magis fatere.

Quid te vis alicui præferre, cùm plures doctiores te inveniantur, & magis in lege periti?

Si vis utiliter aliquid scire, & discere: ama nesciri, & pro nihilo reputari.

4. Hæc est altissima & utilissima
lectio, sui ipsius vera cognitio & de-
spectio.

De seipso nihil tenere , & de a-
liis semper bene & altè sentire,
magna sapientia est & alta perfe-
ctio.

Si videres alium apertè peccare,
vel aliqua gravia perpetrare, non
deberes te tamen meliorem æsti-
mare : quia nescis, quamdiu pos-
sis in bono statu permanere.

Omnis fragiles sumus ; sed tu
neminem frāgiliorem teipso tene-
bis.

C A P U T III.

De doctrina veritatis.

1. **E**lix, quem veritas per se do-
cet, non per figuras & vo-
ces transēuntas , sed sicuti se ha-
bet.

Nostra opinio , & noster sensus,
sæpè nos fallit , & modicum videt.

Quid prodest magna cavillatio
de